



1708,9 12
is,
n-
m-
im
ot.
ov.
im
am
it,
am
is,
ag-
tur,
au-
eg-
er
rech-
tul-
us
on-
des-
en/
i id-
mu-
25,33
07,3
1,32

87

1000

IO. BERNH. *Vriesen/*

ICTI CONSIL. SAX. AVL. ET CONS.
ANTEC. ET FACULT. JVRIDICÆ AS-
SESSORIS H. T. DECANI

INVITATIO AD LECTIONEM
IN AVGVRalem

JOHANNIS IACOBI SVPPII

Candidati Juris utriusque clarissimi

JENÆ, M DCC VIII.

LITERIS WERTHERIANIS.





Vlpiani Regulam int. 35. ff. de R. J. propositam: Nihil tam naturale est quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est, non veram dumtaxat sed & late patentem esse, Doctores communiter ad d.l. asserunt. Naturale hoc principium est nam jure civili Eurematica quædam seu cautelæ adinventæ sunt, quibus alia ratione quidque dissolvitur, inquit Gothof. ibidem. Exempla hujus regulæ adferunt varia. Non solum nimirum per æs & libram alienari res mancipi olim solebant, sed etiam obligari. Quo sensu Festus scripsit Ælium Gallum nexus definivisse, quodcunque per æs & libram geritur. Hinc factum videri potest, ut id quod per æs & libram erat obligatum, contrario nexus per æs & libram tolleretur, Rævardus ad d.l. 35. R. J. Agnatio porro juris civilis nomen est §. ult. de leg. agnat.

A 2.

tut.

tut. & eodem jure quemadmodum, videlicet per adoptionem, contrahitur, l. 23. ff. de adopt. ita vicissim emancipatione & capitis diminutione dissolvitur. d. §. ult. Inst. de legit agn. tut. Notabiliter vero Vlpianus vult eo genere quo quid colligatum quidque dissolvendum. Ideoque verborum obligatio verbis, scilicet per acceptilationem tollitur, alterius generis obligatio aliter non quam per aquilinam stipulationem transformata. §. 1. & 2. Inst. quib. mod. toll. obl. Simile in aliis contractibus reperiri, communis est Interpretum opinio. Realis enim rei restitutione dissolvitur l. 80. ff. de solut. Et quamvis de literarum obligatione in jure nostro civili nihil habeatur, tamen ex hac regula decidi poterit, cum moris fuerit, teste Cicerone pro Roscio & Plauto in Cistellaria; act. i. scen. 3. ut creditores expuncto ex tabulis debitoris nomine acceptum ferrent. De obligationibus ex consensu haud pauci loquuntur textus: l. 80. ff. de solut. & que cum emtio, vel venditio, vel locatio contracta est: quoniam consensu nudo contrahi: etiam diffensu contrario dissolvi potest. L. 35. de R. f. Nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur, ut & §. ult. Inst. quib. mod. toll. obl. obligationes que consensu contrahuntur contraria voluntate dissolvuntur. De emtione & venditione præcipue Diocletianus & Maximianus Impp. in l. 2.

C. quand. lic. ab emt. disced. constituerunt: perfe-
 Etam emtionem atque venditionem re integra tan-
 tum pactum & consensu posse dissolvi constat. Glossa
 per pactum & consensum intelligit pactionalem con-
 sensum per antiquam figuram, quæ Hendiadys dicta,
 qua unum in duo dividitur: ut apud Virg. *arma vi-
 rumque cano*, id est, armatum virum. Sed quomodo
 pacto sive pactionali consensu, obligatio nudi con-
 sensus & quidem ipso jure dissolvi possit, cum id alias
 non nisi à parte rei insit adeoque exceptionem dun-
 xat producat l. 7. §. 4. ff. d. pact. §. 3. Inst. de exc. sa-
 ne perarduum est demonstrare & lubrica ab Inter-
 pretum quibusdam defensionis ratio proponitur
 Glossa ad dict. Leg. 2. C. Quand. lic. ab emt. disced.
 trahit hoc in prodigium, ajens: remanet mirabile ut
 nudum pactum non pariat exceptionem. Quare hoc
 Franzkius explicare ad §. ult. quib. mod. toll. obl. cona-
 tur: Licer enim alias ex pactis nudis obligatio saltem
 naturalis & exceptio producatur & dehinc obligatio-
 nem civilem, qualis ex illis contractibus consensuali-
 bus quoque nascitur, tollere non posse videatur, arg.
 l. 27. §. 2. ff. de pact. quia tamen earatione sua essentia
 in se tota juris gentium est, & præter nudam meram-
 que approbationem à jure civili nihil habet, & pacta
 illa non minus consensu nudo innitantur: unde & nuda
 dicta sunt, remoto per contrarium consensum funda-
 mento,

SE (5) 36

mento, qualiscunque illa approbatio juris civilis tanti
esse non potest, ut obligationem & actionem sustinere
queat. Qua de causa in d. l. 27. §. 2. vers. idem
dicimus ff. de pact. tota obligatio predictorum contra-
ctuum tolli dicitur. Certe si nudo pacto tollerentur
ipso jure obligationes consensi contractae, plures
tales cum Glossa rei hujus caperentur admiratione:
Cum hoc modo manifesta jura everterentur. Sed
contrarius consensus, pactum & consensus sive pactio-
nalis consensus, sive dissensus contrarius non signifi-
cant pactum nudum arg. l. 27. §. 2. vers. Idem dice-
mus ff. de pact. & a consensi ad pactum nudum pro-
cedere sana vetat ratio. Et si largiamur emtionem
esse contractum solius juris gentium & totam, &
præter nudam meramque approbationem à Jure ci-
vili non habere: inde tamen male colligitur obliga-
tionem inde natam mere esse naturalem, cum actio-
nem jure etiam civili efficacem proferat, quæ non
nisi obligatione, quam mixtam appellant, præxi-
stente nascitur. Si itaque per ejusmodi pactum,
sive contrarium dissensum illud solum tollitur quod
naturale, civili illâ obligatione & inde nata actione
intacta servata, obligatio ex contractibus consen-
sualibus competens neutiquam ipso jure erit sublata.
Non itaque majorem hocce pactum haberet vim
quam si venditor, re vendita tradita, pacisceretur

ne pretium petatur, ubi venditi actio non ipso jure interiret, sed ope demum exceptionis excluderetur. Apparet inde satis pacto nudo attribuendum non esse quod pacto & consensui sive contrario dissensui. Imo pactum posterius non ipso jure tollit prius sed ope replicationis si priori subsit contractus vel civile negotium *pr. Inst. de replic.* Emptionem insuper totam esse juris gentium inficiabuntur omnes qui naturam ejusdem accuratius considerant. Neque Bachov. ad §. ult. *Inst. quib. mod. toll. obl. communis-*
simam juxta & verissimam esse sententiam per pa-
ctum nudum contingere liberationem & dissolutio-
nem obligationis, sufficienter probat per l. 7. §. 6.
ff. de pact. ubi in emtione, ceterisque bonæ fidei
judiciis potest abiri quidem ab emtione, non tamen
per nudum pactum quod erat inferendum. Et in l. 27.
§. 2. d. *pact.* clarissime Cetis distinguunt nudum pactum
a contrario consensu & utriusque diversos ostendit ef-
fectus. In l. 28. *ff. de pact.* quidem ab emtione ven-
ditione, locatione, conductione, ceterisque simili-
bus obligationibus quin integris omnibus consensu
eorum, qui inter se obligati sunt recedi possit dubium
non est, sed neutquam nudo pacto. Ideo nec Vul-
tejum ad dict. §. ult. *Inst. quib. mod. toll. obl. sequi-*
mur, statuentem, consensum illum contrarium
etiam nudo pacto expediri ut tollatur obligatio &
quidem

quidem obligatio tota ut ne naturalis quidem remaneat. Totam difficultatem distinctione expedientiam esse docet Paulus in l. 27. §. 2. ff. de pact. Vel quis pactus ne peteret & tum obligatio non ipso jure sed exceptionis ope infirmatur actioque inde orta excluditur. Sed si pactum conventum tale fuit, quod actionem quoque tolleret, ipso jure actio expirat. Quod recte observavit Vmnius, qui disp. ad proc. 8. th. 6. n. 4. priore correcto errore, ait: *Nunc puto dicendum esse, quod contrario dissensu rursum contractus dissolvatur, ubi actum est, ut à contratu discedatur, sed & in ejusmodi contractibus illi pacto locus esse potest, ut tamen contractus subsistant.* Fac enim me tibi ex emto debere io, ubi si paciscar tecum, ne illa petas, contractus subsistit, & exceptioni locus fit. Lauterbach. tit. de pact. paucis quidem sed perspicuis verbis totam expedit controversiam, pacta liberatoria in *nuda* & *non nuda*, quale est contractius dissensus, dividens. Dum vero Imperatores in l. 2. C. quand. lic. ab emt. disc. constituant, perfectam emtionem atque venditionem re integrā tantum pacto & consensu dissolvi. Et Gordianus in l. 1. d. iii. re integrā ab emtione venditione utriusque partis consensu recedi posse: sunt qui opinantur modum dissolvendæ obligationis consensu contractu ad casum restringendum, ubi res nondum fecuta, hoc

hoc est, nulla traditio facta est. Quod ulterius cit.
I. 2. C. quand. lic. ab emt. disc. confirmare videtur,
 dum quod arrhæ nomine aurum datum emtor re-
 cuperare potest & quidem juxta Glossam actione
 ex emto, vel condicione sine causa vel ob causam
 vel præscriptis verbis *I. 11. §. 6. ff. de act. emt.* Quem
 actionum concursum assenuit & a cavillationibus Fa-
 bri vindicavit Bachov. *Ex. ad dec. 96. err. 4.* Sin
 vero partem pretii persolvit: ad ea quæ venditorem
 ex venditione oportet præstare magis actionem,
 quam ad pretii quantitatem, quam dedit, habet.
 Verum quidem est, re non amplius integra, solo
 contrario dissensu emtionem venditionem non sol-
 vi, sed rem & pretium retro tradi necesse esse: quæ
 retro traditio rem in pristinum statum reponat. Re-
 stitutis vero re & pretio vi & potestate paeti resolu-
 torii ipso jure dissolvitur contractus *I. 58. vers. nec*
quicquam interef ff. de pact. Hac ratione adhuc ve-
 rum est, re integra tantum pacto dissolvi contraactum.
 Iccirco si emtor mercem restituat, vendor vero pre-
 tium vel ejus partem solutam non restituat, ex hoc
 pacto non datur emtori actio *d. I. 58. vers. illud plane ff. de pact.* Hoc tantum remedium emtori est
 relictum ut actione emti rem venditam persequar-
 tur *d. I. 2. C. quand. lic.* Nec si agat repellendus
 est exceptione paeti, quia illud pactum est resolu-
 torium,

36 (9) 36

torium, tendens, non ad parandam exceptionem
sed dissolvendum contractum, tum demum vire
suas exerit, ubi retrotraditio facta fuerit. Si actionem
autem sibi parare velit emtor, qua compellat
venditorem ad pretium retrotradendum, hoc casu
novo contractu & obligatione opus est. *d. l. 58. in*
fin. ff. de part. Quos diversos actus non observans
non potuit non labi *Ant. Fab.* qui *decad. 95. err. 8.*
scribit, re non amplius integra, ab emtione recedi
non posse sine novo contractu & retrovenditione.
Neque eum juvat, quod, ut resolvatur venditio, re
non amplius integra, ab *Imp. Gordiano* in *l. i. C.*
quand. lic. ab emt. disc. requiratur actus priori simili-
bus, retroagens venditionem. Utique enim cum res
retrotraditur, quæ tradita fuerat, hic actus similis
est priori, retroactionis vim habens. Ubi autem
novus intercedit contractus, non dicitur retroagi-
res, sed nova constitui obligatio. In præ-
stando quoque laudemio considerari utrum con-
ventum fuerit, ut a contractu recedatur, & unum esse
solvendum laudemium; an vero inter partes actum
ut res tradita revendatur & duplex præstandum lau-
demium, fusiis tradit *Franzk. de laud. c. 5. n. 70. &*
seqq. Latiorēm *hujus legis 2.* Interpretationem
sibi reservavit clarissimus utriusque juris Candida-
tus

B

JO.

35(10)35

IOHANNES IACOBVS SVPPIVS

Cujus patria Memminga est, urbs Imperii natura
& manu munita in Algoja: ubi XIII. Cal. Sept.
MDCLXXXV. in lucem editus. Autores sanguinis
dilectissimos adhuc honorat, Virum præstantiori-
bus ornatum muneribus TOBIAM SVPPIVM,
Senatus secretioris prædictæ urbis assessorem, ejus-
demque fundationis Sacelli trium Regum admini-
stratorem superiorem prudentissimum ac mercato-
rem celebrem: hujusque thalami carissimam con-
sortem ANNAM MARIAM HERMANNAM
Fœminam virtutibus eximiam. Qui hoc suum per-
petui amoris pignus carè æstimantes, omni studio
atque opera elaborarunt, ne ætas flexibilis corrupte-
iarum illecebris irretiretur, sed doctrina, disciplina
& studiis excoletetur diligentissime. A teneris inde
præclaris est commissus Præceptoribus a quibus ma-
ture & assidue rectis studiis est innutritus. Impri-
mis tradidit se illic Clarissimo Viro DN. SALO-
MONI MULLERO Licei Memmingis Rectori
meritissimo & celeberrimo, cuius ad mathesin, po-
liticam, & reconditas atque elegantiores literas fi-
deli manuductione quia maturuerunt Candidati
profectus, non potest non nominatum virum summis
extollere laudibus. Ita in patiis scholis solide in-
stru-

(11) 5

structus parentum & præceptorum consilio missus
est in hanc salanam Academiam Anno MDCCIV.
Mense Junio, & pridie Id. tenente eo tempore fa-
sces rectorales Viro Nobilissimo Consultissimo at-
que Excellentissimo DN. JOHANNE JACOBO
MULLERO Moral. Professore meritissimo, no-
men ejus in album studiosorum est relatum. Ubi
ingenium suum ad divinarum humanarumque re-
rum scientias penitus ac plenius excolendas expli-
cavit & telam in patria abruptam pertexere mani-
bus pedibusque noctes & dies conatus est. Quod
ut obtineret feliciter continuo de legit è nostris or-
dinibus, quorum publica privataque auditoria con-
stanter obiret. Etenim & artis dicendi, philosophiæ
primæ, physicæ, mathesios, historiarum, moralis ac
civilis, tum vel maxime juris civilis & canonici pri-
vati & publici illustres Antecessores, excellentissi-
mos consultissimos & clarissimos Professores &
Doctores, JOHANNEM PHILIPPVM SLE-
VOGTIVM Consil. Sax. Facult. Jurid. & Scabi-
natus Seniorem Venerandum: CHRISTIANVM
WILDVOGELIVM Consil. Sax. Isen. intimum:
GEORGIVM ALBERTVM HAMBERGE-
RVM: D. TREVNERVM: D. BVRCARDVM
GOTTHELFF STRVVIVM: DD. HERTE-
LIVM: BOSIVM: STRVVIVM: MAGI-
STRVM



STRVM HEVMANNVM, non perfunctorie,
 aut in transitu, sed attente studiose audivit. Meis
 quoque Lectionibus in Lauterbachium & Institutio-
 nes tam publicis quam privatis sedulus interfuit. Hic
 nostri Candidati circus & studiorum cursus fuit,
 quo feliciter confecto ad laborum incitato nixi
 exantlatorum præmia cœpit respicere & non dubita-
 vit summos in utroque jure honores ambire & ab
 inclyto Juris Consultorum ordine modeste petere.
 Petitioni æquæ ejusdem annuimus & in Candidato-
 rum numerum recepimus. Postmodum admissus in
 conclave Examinantium, prima & altera vice; ubi ac-
 curata textuum elaboratione & voce toti Juris Con-
 sultorum Collegio ita respondit, ut qui ad specimina
 publica admitteretur concordibus suffragiis dignus
 censeretur. Examinum periculo defunctus Materiam
 delegit Lectionis Inauguralis *L.2. C. quand. lic. ab emt.*
disc. & craftino die loco & horis consuetis in illam
 Prælectiones instituet. Cujus speciminiis solennis æqui
 existant arbitri & testes sint omni exceptione majores
 PRO-RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFI-
 CVS, PROFESSORES omnium ordinum EXCEL-
 LENTISSIMI, studiosa commilitonum cohors
 omnesque qui Justitiæ Sacerdotibus faverit, maximo
 rogo opere. PP. XVII. Cal. Maj. MDCCVIII.


(L.S.)



X2403650

1078 1078 Kad 12





Farbkarte #13

1708, 9 12

BERNH. *Griesen/*
CONSIL. SAX. AVL. ET CONS.
TEC. ET FACULT. JVRIDICÆ AS-
SESSORIS H. T. DECANI
INVITATIO AD LECTIONEM
IN AVGVRALEM
ANNIS IACOBI SVPPII
Candidati Juris utriusque clarissimi
JENÆ, M DCC VIII.
LITERIS WERTHERIANIS.